

habentur, quæ obtinent, & a communione Ecclesiæ (cujus facultatem auferre cupiunt) excludantur.

## CAP. III.

Rektor Ecclesiæ, qui dat Ecclesiæ rem duplæ estimationis, servos Ecclesiæ manumittere potest: ipse tamen manumissus, & ejus posteri erunt sub patrocinio Ecclesiæ. Ita communiter summatur, tamen non placet Panor. id, quod dicitur de estimatione.

Ex Concilio Toletano. [an. 633.]

Consensus totius Concilii definiunt, ut Sacerdotibus, qui aut aliquid Ecclesiæ suæ relinquunt, aut nihil habentes, aliqua prædia, vel familias Ecclesiis suis acquirunt, liceat aliquos de familia ejusdem Ecclesiæ manumittere, juxta rei collatæ modum, quem antiqui canones decreverunt: ita ut cum peculio, & posteritate sua sub patrocinio Ecclesiæ maneant, utilitates junctas sibi, juxta quod poterunt, prosequentes.

## CAP. IV.

Si Prelatus nil de suo dans Ecclesiæ servum Ecclesiæ manumittit, non tenet manumissio.

Ex eodem. (an. eod.)

Episcopi, qui nihil ex proprio Ecclesiæ Christi conferunt, liberos ex famulis Ecclesiæ ad condemnationem suam facere non præsumant. Impium est enim, ut qui res suas Ecclesiæ non attulerit, damnum inferat. Tales igitur liberos b successor Episcopus absque aliqua oppositione ad jus Ecclesiæ revocatur.

## CAP. V.

Res Ecclesiæ alienari non debent.

Ex Concilio apud Silvanen. c [in Gallia.]

Nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ sive agrum, sive rusticum mancipium, d neque specialis hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum continet [1] e conditionem, donationem, venditionem, permutationem, & emphyteuticum perpetuum contractum. Unde omnes Sacerdotes ab hujusmodi alienatione abstineant: pœnas timentes, quas Leonina constitutio comminatur.

[1 Ita legit Innocentius, intelligitque de contractu, cui fuit adscripta conditio: veluti. Si navis ex Asia venerit. Lectio mihi non probatur ob illud in jure vulgatum: conditio nihil disponit. Alii Conductionem legebant, quos Innocentius damnat, inquit: Conducere non est alienare. Sane recte, nisi forte conductio perpetua foret, ut annotat Hostiensis. Ego legendum putarem: Alienationis verbum continet Testamenti conditionem, &c. Nam proculdubio qui Testamentum condit, alienat. Vel etiam (quod sentit & Innocentius) accipias immutatam rei conditionem, id est, statum, causam, naturam prædii: veluti, si faciat illud tributarium, vel annua pensione gravet. Quintinus)

## CAP. VI.

Alienatio de rebus Ecclesiæ facta non tenet, & alienatores, nisi rem restituant, excommunicantur: & quilibet Clericus potest contradicere, & rem cum fructibus repetere. h. d. & est rextus notabilis, & quotidie allegatur.

Symmachus Papa in Romana Synodo tertia, habita circiter annum Domini 306. vel 307. Cap. 4. 5. 6. 7. & 8. ejus Synodi To. Concilii infr.

SI quis Presbyterorum, Diaconorum, seu defensorum alienanti prædium Ecclesiæ subscripserit, quo iratus Deus animas percussit, anathemate feriatur: nisi forte & alienator, & qui acceperit f, celeri restitutione sibi prospexerint. Quod si minore animæ suæ cura remedium g oblatum nglexerint, præter pœnam super hoc adscriptam, confectum exinde documentum viribus (quamvis abinitio

a Ex eod. scilicet Conc. Tol. 4. c. 66. b Liberos, duo verusti co. dices. c Burch. l. 3. decr. c. 144. l. 100 p. 3. c. 183. d Vid. l. 2. & g. ff. de diver. temp. præscr. e Conductionem. al. Conditionem. f al. reserperit. g al. remedio.

nullas habuerint) vacuetur. Sed etiam licet a quibuscumque Ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, & ut cum fructibus possint alienata reposcere, & Ecclesiastica auctoritate fulciri.

## CAP. VII.

Terra non fertilis Ecclesiæ dari potest in emphyteusim ei, cujus studio reducat ad culturam.

Alexander III. Vigorien. b Episcopo. (an. 1180.)

Ad c aures: [ & infra. ] Illas terras, quæ de sylvis extirpatæ sunt arabiles factæ, eis hereditario jure poteris concedere sub annuo censu tenendas, a quibus suo, vel parentum suorum labore confiterit extirpatas. Nisi forte tunc aliis possint ad majorem Ecclesiæ utilitatem cum eodem labore, & onere conferri.

## CAP. VIII.

Jurans non alienare bona Ecclesiæ, non potest alienare ea, quæ sunt de mensa, vel ea, de quibus dubitatur, an sint de mensa. hoc d. usque ad §. possessiones. Abbas.

Celestinus III. Raven. Archiepiscopo. (an. 1196.)

Ut d super aliqua: [ & infra. 1 ] Sane quævisisti a nobis, si possessiones, sive redditus regalium decimationum, & aliunde ex certis locis provenientes, quos prædecessor tuus, quousque diem clausit extremum, ad manus suas tenuit, & in proprium usum excepit, vel expendit e, nec aliis infeudavit, de mensa sint Archiepiscopi intelligendi, & de eis, cum ex sacramento fidelitatis teneris Apostol. sedi nihil alienare, contractus alienationis cujuslibet possit intervenire. Tuæ ergo inquisitioni taliter respon. quod five intelligantur de mensa, sive non, ut non alienentur, consultius existimamus.

[ 1 Reposita questionis dubietas Apost. sed. providentia enodetur, Romanam Ecclesiam, cui licet immeriti præsidemus, singularum consultationibus convenit respondere. ]

Possessiones Ecclesiæ minus utiles pro utilioribus de consensu Capituli potest Episcopus permutare, vel alienare. h. d.

Possessiones vero, quæ Ecclesiæ tuæ minus sunt utiles, pro aliis utilioribus de fratrum tuorum, & g sanioris partis consilio, & assensu alienandi, seu commutandi liberam concedimus facultatem.

## CAP. IX.

Canonicus prædium Ecclesiæ perpetuo locare non potest.

Idem Exonen. Episcopo. (an. eod.)

Ad b audientiam nostram noveritis pervenisse, quod quidam de canonicis Exonen. Ecclesiæ quædam prædia ejusdem (inconsultis aliis fratribus) in damnum ejus i in perpetuum locaverunt. Ideoque mandamus, quatenus ( si verum est, quod asseritur ) locationes illas legitime revocare procuret: ita quod si eadem prædia non aliter revocari poterunt x, eos, quos noveris harum locationum auctores l, ad susceptam inde pecuniam conductoribus refundendam m appell. rem. compellas.

## CAP. X.

Possessiones, quæ sunt de mensa, non possunt alienari. Et Ecclesiæ consueta regi per regulares secularibus Clericis conferri non debent. h. d. Joan. de Imola.

Innocentius III. Archiepiscopo Montis regalis.

[ an. 1210. Roma in Siciliam. ]

Possessiones n ad mensam tuam, vel Capituli pertinentes alienare non debes: aut Ecclesias, in quibus Monachi ministrare consueverunt, Clericis, vel Laicis assignare.

a Licet. b Vigor. al. Vigorniensis. c Post Conc. Lat. sub Alex. III. p. 29. c. 4. & Cap. 7. eod. tit. in 1. comp. d Cap. 1. eod. tit. in 2. comp. e Hæc duo verba, vel expendit, desunt in omnib. antiq. f estimamus. g vel. h Cap. 2. eod. tit. in 2. comp. & vide Anob. conf. 115. i al. ita: in damnum Ecclesiæ. x poterim, poterint. l auctores. m referendam. n C. 1. eod. tit. in 3. comp.

## CAP. XI.

Restituitur Ecclesia contra alienationem, per quam enormiter fuit lesa. h. d. secundum lecturam veteriorem.

Idem Episcopo Mauriensi, & Præposito Ulcon. a

[ an. 1210. in Galliam. ]

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cum Tufien. c Monasterium depressum esset onere maximo debitorum, Abbas, & Conventus ejusdem villam quandam necessitate coacti B. Laico concesserunt in feudum, tali conditione apposta, quod idem LXXX. libras persolveret, pro quibus eadem extiterat obligata: quod non distulit effectu mancipare: [ & infra. 1 ] Unde d humiliter supplicarunt, ut feudum prædictum faceremus ad utilitatem monasterii revocari, præsertim cum idem Laicus primo anno de ipsius proventibus ultra summam perceperit prætaxatam, & per multos postmodum annos sumpserit ejus fructus: [ & inf. 2 ] Quocirca e mandamus, quatenus si prædictum monasterium propter hoc inveneritis enorme dispendium incurrisse, dictum Laicum, ut [ pecunia, quam pro exoneratione feudi, seu etiam pro utilitate ipsius monasterii expendisse noscitur, ab eisdem Abbate, & Conventu recepta, cum sibi fructus percepti sufficere debeant pro labore ] præfatum feudum eidem monasterio dimitat liberum, & quietum, appellatione postposita, compellatis.

[ 1 Verum quia præfatum monasterium, sicut dicunt, enormiter est lesum in eo, quod de redditibus villæ præfate Conventus diebus singulis unum serculum, & in festis duodecim lectionum pisces, vel aliud æquivalens consuevit percipere. ]

[ 2 Nos igitur sic volentes gravaminibus præfati monasterii providere, quod aliis non videamur injuriam irrogare. ]

## CAP. XII.

Alienatio rei Ecclesiastica facta sine legitimo Ecclesiasticorum personarum assensu non tenet, licet approbetur per constitutionem Laicorum.

Idem in Concilio generali. f (an. 1216.

Rome.)

Cum g Laicis, quamvis religiosi disponendi de rebus Ecclesiæ nulla sit attributa potestas b, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi: dolemus in quibusdam ex illis i sic refrigescere charitatem, quod immunitatem Ecclesiasticam libertatis, quam non tantum sancti Patres, sed etiam Principes seculares privilegiiis multis munierunt, non formidant suis constitutionibus, vel potius destitutionibus x impugnare l, non solum de alienatione feudorum, ac aliarum possessionum Ecclesiæ, & usurpatione jurisdictionum, sed etiam de mortuariis, necnon & aliis, quæ juri spirituali annexa videntur, illicite præsumendo. Volentes igitur super his indemnitatibus consulere Ecclesiæ, ac tantis gravaminibus providere, constitutiones, & venditiones hujusmodi feudorum, seu aliorum bonorum Ecclesiasticorum, sine legitimo personarum Eccles. assensu præsumptas, occasione constitutionis laicæ potestatis ( cum non constitutio, sed destitutio, vel destructio dici possit, necnon usurpatio jurisdictionum m ) Sacri approbatione Concilii decernimus non tenere, præsumptoribus per censuram Ecclesiasticam compellendis.

a Ulrien. al. Ultricen. al. Ulicien. b C. 2. eod. tit. in 3. comp. c al. Secusen. al. Cuffien. vel Cuffin. in antiq. d Vid. l. quid si minor. §. restitutio. ff. de minor. e De intellectu hujus textus vid. latissime per Covarruv. l. 1. var. resol. c. 3. f Lat. Conc. gen. sub Inno. III. c. 44. g C. un. eod. tit. in 4. comp. h facultas. i isti. x al. destructionibus. l Vid. aurb. cass. per Barb. C. de sacro sanct. Eccles. m jurisdictionis.

TITULUS XIV.  
DE PRECARIIS.

## CAP. I.

Breve est, nec potest brevius summari.

Ex Concilio apud Beluacen. a [ in Gallia. ]

Precaria de quinquennio in quinquennium secundum auctoritatem, & antiquam consuetudinem renoventur.

## CAP. II.

Revocat successor precariam per prædecessorem irrationabiliter factam.

Ex Concilio Carthagin. b ( in Africa. )

De precariis irrationabiliter factis a Rectoribus Ecclesiæ, se, suosque successores pœna gravi obligantibus, ut facta ipsorum dissolvere nequeant: Præcipimus, ut nemo successor antecessoris sui pœna sit obligatus, sed suæ providentiæ sit concessum, ut si antecessor ejus res Ecclesiæ irrationabiliter distribuit, ab eo ad jus ejusdem Ecclesiæ revocentur.

## CAP. III.

Concesso precariis exinguitur voluntate concedentis, aut ei succedentis: precaria autem concessio non.

Gregorius IX. ( an. 1235. Rome. )

Precarium e utendum conceditur, quando patitur, qui concessit: solvitur quoque obitu ejus, cui concessum est, non d etiam concedentis: aut cum ipsum alienari contingit alicui hoc revocare volenti: quia per conventionem hujusmodi non licet rem alienam invito domino possideri. Porro precariæ, quæ quandoque de Ecclesiæ possessionibus fieri solent, non sunt pro voluntate concedentium revocandæ.

TITULUS XV.  
DE COMMODATO.

## CAP. UNIC.

Commodatarius gratia sui tenetur etiam de levissima culpa, non de casu, nisi in tribus casibus hic positis. Et commodatum ante usum completum non revocatur. h. d.

Idem Gregorius IX. ( an. 1235. Rome. )

Cum g gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur: licet casus fortuitus ( nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset ) sibi non debeat imputari. Contra eum quoque recte commodati non agitur, nisi post usum expletum, cujus gratia fuerat commodata: cum non decipi beneficio nos oporteat, sed juvari.

TITULUS XVI.  
DE DEPOSITO.

## CAP. I.

Ex deposito facta apud Clericum Ecclesiæ, non tenetur Ecclesiæ, nisi in utilitatem Ecclesiæ sit versum.

Alexand. III. London. g Episc. ( an. 1200. Roma in Angl. )

Gravis b illa querimonia usque ad nos super deposito tuo tibi hætenus denegato pervenit: [ & infra. 1 ] Cum enim non constet pecuniam tuam, quam ille vir Belial furatus est, in Ecclesiæ utilitatem conversam, non debemus de jure contra Canonicos

a Beluacum. Burch. l. 3. c. 169. l. 100 p. 3. c. 230 & C. 1. eod. t. in 1. comp. b Ant. August. in not. antiq. collectionis eod. tit. c. 2. ait se non invenisse in Concilio hoc cap. c Vid. l. 1. & ibi gloss. & Barb. ff. eod. t. d Hostiensis legendum, seu corrigendum hic admonet ita: sed non concedentis. e Vid. l. creditores. & quod ibi not. Barb. C. de pign. f Vid. tex. in Sitem is, cui res. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. g London. al. Ludon. al. Lugdonen. al. Lindonien. al. Lincolnien. h C. 2. eod. tit. in 1. comp. & post Conc. Lat. sub Alex. III. p. 50. c. 33

nicos ejusdem Ecclesie præcise intendere iustionis instantiam, ut tibi eandem reddant pecuniam, personam, non Ecclesie commendatam.

Quocirca suademus, ut in illum forem tuam dirigas actionem, eo quod (ut audivimus) loculos habet, & ea, quæ tibi subrepta sunt, asportavit. Nam & iudicibus decimus in mandatis, ut illum iniquum sub questionibus ad rationem ponant, etiam (si oportuerit) vinculis alligatum, ut dictam pecuniam reddere compellatur: [ & infra. ] Si autem cum eis amicabiliter poteris de redditum perceptione pacisci, noveris id nobis acceptum.

[ 1 Duplici nos anxietate perstringens, eo quod tibi in hoc & desse non possumus, & adesse non valeamus. ]

## CAP. II.

Dicit, ad quid teneretur depositarius, & quomodo reperatur depositum.

Gregorius IX. (an. 1235.)

Bona fides d' abesse præsumitur, si rebus tuis salvis extitit, stentibus, depositas amissis. De culpa quoque teneris, si te ipsum deposito obtulisti, vel si aliquid pro custodia recepisses. Pacto vero, culpa, vel mora præcedentibus, casus eventum fortuitum imputatur. Sane depositori pro voluntate sua depositum revocare, contra quod compensationi, vel deductioni locus non fuit, ut contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam minime referatur, licet compensatio admittatur in aliis, si causa, ex qua postulat, sit liquida ita, quod facilem exitum credatur habere.

TITULUS XVII.  
DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

## CAP. I.

Cogit Episcopus, ne carius vendatur transeuntibus, quam in mercato venderetur.

Ex Concilio apud Valen. c.

Placuit, ut Presbyteri d' plebes suas admoneant, ut & ipsi hospites sint, & non carius vendant transeuntibus, quam mercato vendere possunt. Alioquin ad Presbyterum transeuntis hoc referant, ut illius iussu cum humanitate sibi vendant.

## CAP. II.

Fraudans mensuras, & pondera triginta diebus in pane, & aqua penitere debet.

Ex Concilio Moguntin. (in German.)

UT mensuræ, & pondera iusta fiant: [ & infra. ] Si quis iustas mensuras, & iusta pondera causa lucri mutare præsumpserit, 30. dies in pane, & aqua poeniteat.

[ 1 Sicut in divinis legibus sancitum est, & in Capitulari Domini Caroli continetur, sicut & iste sacer Conventus constituit, sic in omnibus observare placet, &c. ]

## CAP. III.

Tenet venditio, licet venditor sit deceptus ultra dimidiam iusti pretii, potest tamen venditor agere, ut restituatur res, vel iustum pretium suppleatur: & si alterum præciso perit, succumbit.

Alexander III. Atrabaten. Episcopo.

(an. 1170.)

Cum dilecti e filii Beluacen. Canonici contra Abbatem, & fratres Cariloci f' proponerent querimoniam, quod sylvam, quæ Nigravallis dicitur, a quibusdam eorum ignorant Capitulo pro 10. libris, 40. marchas tunc valentem,

a Vid. tex. & ibi plene per Doct. s. præterea & is. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. & Anton. Gomez. tom. 2. var. ref. c. 7. b reduectur. c. Alannias. al. Aluim. al. Alvernan. al. Alverum. al. Aluacen. d. Buvch. l. 2. decr. c. 168. lvo p. 6. c. 259. & c. 2. eod. tit. in 1. compil. vid. B. Thom. & ibi Caser. 21. q. 77. art. 1. Covarr. l. 3. c. 14. var. resol. e. Cap. 4. eod. tit. in 1. compil. f. Caroli loca.

comparassent: causam ipsam Morinen. a Episcopo, & Decano Reimen. commissimus terminandam: adjicientes, quod si uterque causa cognitioni interesse nequiret, alter in eodem negotio procedere non differret: [ & infra. ] Tandem Decanus in illius causa cognitione processit: & cum ei per testes b constitisset, quod prædicti fratres sylvam minus dimidia iusti pretii comparassent, pronuntiavit c venditionem non tenere: & sylvam Beluacen. Ecclesie adjudicans, Canonicos in possessionem induxit: [ & infra. ] Quia vero in arbitrio emptoris est, si velit, supplere iustum pretium, aut venditionem rescindere, cum res minus dimidia iusti pretii d comparatur: sententiam ipsam tanquam juri contrariam irritantes, possessionem Monachis iudicavimus esse reddendam, salva questione Canonicis super deceptione pretii, vel consensu Capituli in venditione non habito, & alia causa rationabili, quam Canonici contra Monachos duxerint proponendam.

[ 1 Cum itaque Decanus partes ad suam presentiam convocasset, Abbas, & Monachi non ad agendum, & respondendum, sed ad quarendum dilaciones nuncios destinarunt, asserentes, quod ad nos miserant, & ad audientiam nostram appellaverant. Fortem quia in literis appellatio remota fuerat. ]

[ 2 Nunciis igitur utriusque partis in nostra propter hoc presentia constitutis, dum ex parte Canonicorum instanter, & solite peteretur auct. Ap. confirmari, habita deliberatione cum fratribus nostris, & aliis sapientibus, qui legibus iurarudicant, eandem sententiam juri contrariam intelleximus. ]

## CAP. IV.

Si vir habeat alia bona, unde uxor possit sibi consulere, & consentiente uxore rem propter nuptias donatam uxori vendiderit: emptorem, qui spatio triginta annorum rem possiderit, non potest uxor inquietare super ea, maxime si pretium fuit conversum in communem usum viri, & uxoris. h. d. secundum intellectum, quem tenet Panor. Et est casus notab. limitans jus civile. Secundum Jo. Andr. non oportet adicere, maxime, sed omnia illa tria necessario requiruntur.

Celestinus III. (an. 1194. Romæ.)

Pervenit e ad nos, quod P. miles A. uxori suæ quandam domum in donationem propter nuptias assignatam, muliere ipsa expressum dante consensum, B. mulieri vendidit pro certa pecuniæ quantitate: [ & infra. ] Prænominato vero milite viam universæ carnis ingresso, relicta ejus venire contra hoc præsumit: allegans dictam domum titulo donationis propter nuptias sibi concessam alienari non potuisse, licet ejus consensus ipsi noscatur contractui accessisse. f' Præfata vero B. ex eo nititur se tueri, quod 30. annis g. constante illorum matrimonio, domum ipsam bona fide, tituloque iusto possedit: & quia in communes usus viri, & uxoris illius pretium est conversum, ac factæ venditionis tempore, unde sibi præfata mulier consulere potuisset, in viri facultatibus consistebat. Quia igitur super his nos consulere curasti: respondemus, prædictam emptricem (si vera sunt, quæ præmissimus) præscriptis occasionibus super ipsa domo non debere ulterius fatigari.

[ 1 Quam ex eadem venditione B. matrimonio supradicto constante 30. annis libere, pacificeque possedit. ]

## CAP. V.

Si in venditione apponitur pactum de recuperanda re post certum tempus, modico constituto pretio, præsumitur pignus, & non venditio.

Inno.

a Morin. b Hæc duo verba, per testes, desunt in omnibus manuscr. & aliis antiq. exemplarib. c verbum, pronuntiavit, desest in antiquis, quod tamen adesse debere postulat series textus. d Vide l. 2. C. de rescind. vend. per Pinellum. e Cap. 2. eod. tit. in 2. compil. f Vid. auth. sive a me. G. Vellejanum. g al. per 30. annos, &c.

Innocentius III. Episcopo Pallienem. (an. 1208. in Angliam.)

AD nostram b noveris audientiam pervenisse, quod cum R. laicus lator presentium c ab M. mutuum recipere voluisset, creditor, ne per canonem contra usurarios editum d posset in posterum conveniri, domos, & olivas recepit ab eodem titulo emptionis, cum revera contractus usurarius ageretur e: quod patet ex eo, quod creditor debitori promisit, quod quodocunque a septennio usque ad novennium daret LX. uncias tarenorum, quæ vix dimidiam f iusti pretii contingebant, domos ejus restitueret, & olivas. Quia igitur fraus, & dolus cuiquam patrocinari g non debent: mandamus, quatenus si res ita se habet, instrumto venditionis confecto in fraudem canonis promulgati contra usurarios non obstante, prædictum M. ad restituendas domos, & olivas ei, ad quem debent hæreditario jure devolvi (cum debitor sit viam universæ carnis ingressus) per poenam in Lateran. Concilio contra usurarios promulgatam, appellatione remota compellas.

## CAP. VI.

Venditor deceptus ultra dimidiam iusti pretii, agere potest, ut res sibi reddenti pretium acceptum restituatur, vel iustum pretium suppleatur, & in hoc electio est emptoris. h. d. secundum Antonium.

Idem Episcopo, & Archid. Urbinatensi.

(an. 1208.)

Cum causa b, quæ inter oconomum monasterii sancti Martini de monte ex parte una, ac cives Viterbienfes super casamentis ex altera vertebatur, fuisset aliquandiu ventilata, cum constitisset nobis monasterium in venditione ultra dimidiam iusti pretii fuisse deceptum: sententiando decrevimus, ut præfati cives aut recepto pretio possessiones restituerent memoratas, aut supplerent, quantum constaret legitimæ venditionis tempore iusto pretio defuisse.

## CAP. VII.

Ponit tres casus, in quibus re evicta non tenetur venditor emptori de evictione.

Gregorius IX. (an. 1235.)

SI venditori post i institutam contra se iudicium quis omiserit, ut rem venditam sibi defenderet, nunciare, vel contumaciter absuit tempore sententiæ promulgatæ, seu per injuriam sententia lata fuit, de evictione juxta legitimas sanctiones agere non valebit.

TITULUS XVIII.  
DE LOCATO, ET CONDUCTO.

## CAP. I.

Excommunicati sunt magistri, & scholares Bononienses, qui ante tempus conductionis conducunt hospitia aliorum magistrorum, vel scholarum, sine eorum consensu.

Clemens III. (an. 1189. Roma in Flaminiam.)

EX rescripto k literarum Tusculanen. Episcopi nobis innouit, quod cum civitatem Bonon. tempore suæ legationis intrasset: [ & infra. ] Constitutionem factam ab Episcopo Portuen. Apostol. sed. Leg. & a prædicto Tusculan. Episcopo postmodum confirmatam, videlicet ut nullus Magistrorum l, seu scholarum super condu-

a Pallienens. al. Cap. Pallion. b Cap. 1. de empr. in 3. compil. c hæc duo verba, lator presentium, desunt in omnib. antiq. codicib. d editum. e extitisset. f dimidium. g debet l. si in fraudem. C. de leg. 1. l. ex dolo ff. de dolo. Intellectus. Auth. sive me. C. ad Vallejan. h Cap. 2. eod. tit. in 3. compil. i Vid. Anton. Gomez. tom. 2. var. resol. c. 2. de empr. & vend. k C. un. eod. tit. in 2. compil. l Appellatione magistrorum comprehenduntur Doct. utriusq. juris. leg. milites & l. bi qui. ff. ex quib. caus. majores.

endis; aliorum hospitiis in læsionem, & præjudicium habitantium audeat hospitem convenire, nisi prius constiterit tempus conductionis elapsum, vel iniquum in hoc suum favorem præstiterint, & consensum: cum idem Portuen. sub excommunicatione a hoc prohibuerit, & alter sub pena anathematis idem decreverit observandum: ratam b esse decernimus, & auctoritate Apostolica confirmamus: Statuentes, ut a te, frater Episcopo, & tuo quolibet successore hoc singulis annis in communi audientia Magistrorum, atque Scholarum recitetur.

[ 1 Invenit ibi fuisse a bon. mem. VV. quondam Portuen. Episcopo constitutum, & sub excommunicatione prohibitum, ne aliqui scholares hospitia majoris mercedis promissione conducerent, ut ea sibi, vel majoris gloria studio, quasi potentiores in expensis apparere volentes, vel privata utilitatis commodo vendicarent. Unde ipse sollicita provisione considerans, quod hujusmodi conditionis improbitas & discordia fomitem, & impedimenta non modica pareret studiorum: prædictam. ]

## CAP. II.

Personæ Ecclesiasticæ locare possunt proventus decimarum bis, cum quibus condicio Ecclesiæ sit melior, statuto diocessani contravio non obstante: & eadem ratio est de aliis rebus Ecclesiæ.

Innocentius III. Abbati, & Conventui S. Petri de Prætel. London. c diocesis. (an. 1212. Roma in Angliam.)

VEstra nobis relatio declaravit, quod cum ad firmam fructus vestrarum dare consueveritis decimarum: [ & infra. ] Diocess. Episcoporum statuto contrario non obstante, vestrarum decimarum proventus illis libere locare poteritis, cum quibus Ecclesiæ vestra conditionem poteritis facere meliorem: ita tamen, quod hujusmodi locatio ad feudum, vel alienationem non videatur extendi.

## CAP. III.

Propter sterilitatem gravem conductori, sine culpa sua contingentem, remittitur pensio pro rata, nisi possit cum ubertate præcedentis, vel sequentis temporis compensari. h. d. usque ad s. verum.

Gregorius IX. (an. 1235. Romæ.)

PROpter d sterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei sine e culpa coloni, seu casu fortuito contingentem f, colonis Ecclesiæ tuæ pro rata pensionis remissio est faciendâ, nisi cum ubertate præcedentis, vel subsequenti g anni valeat sterilitas compensari.

Ponuntur hic quatuor casus, in quibus iniquus potest ante tempus conductionis finita licite expelli. Abbas.

Verum invito inquilino domum inhabitare, vel rescere poteris, si necessitas (quæ tamen non imminet loca-tionis tempore) id exposcat: remissa sibi pro residuo temporis pensione: qui etiam inde rationabiliter amovetur, si perverte ibi fuerit conversatus, vel cum canonem per biennium non solvisset, sibi satisfactione celeri non providit. b

## CAP. IV.

Emphyteuta Ecclesiæ meliorationes suas vendere non potest, nisi servatis his, de quibus hic. Et si contra fecerit, vel canonem per biennium non solverit, nec moram postea celeriter purgaverit, iuste potest expelli.

Idem. (an. eod.)

POruit Emphyteuta (Ecclesia primitus requisita, eique nunciato, quantum sibi ab aliis offertur i, si nolle se emere

a al. sub pena excommunicationis. b ratum. c Lexonenf. al. London. d Vid. Ant. Gomez. tom. 2. var. ref. c. 3. Arium Pinellum in l. 2. C. de rescind. vend. part. 1. c. 3. Parisum cons. 8. l. 1. Guid. Pap. dec. 630. e & sine culpa. f contingente. g sequenti. h præviderit. i Vid. l. 1. s. si rem. ff. dep. & l. domos. §. 1. & utrobique. Bart. ff. de leg. 1.